ASSERTIONES THEOLOGICAE, EX PRIMA PARTE DIVI Thomæ collectæ,

ANTE INSTAVRATIONEM studiorum in templo societatis IESV Disputandæ.



ROMAE, IN AEDIBVS SOCIETATIS IESV, Anno MDLX.

1 ET *si primum omnium, quæ uel esse, uel cogitari possunt, est* Dei *essentia, eaq; sola necessariò existit: tanta est tamen intellectus humani imbecillitas, ut* Deum *esse pauci apertè intelligant; tanta porrò quorundam hominum peruersitas, ut id (quod ipsum est per se alioqui notissimum) negare non dubitent.*

2 POTEST *quidem rationibus multis ostendi* Deum *esse.* Cæterum *nos illam interim probamus maximè, quæ ex rerum earum quæ extant ita ducitur, ut, nisi* Deus *esset, nihil neque futurum fuisse, neque esse ullo modo potuisse, necessariò conuincat.*

3 DEVS *neque corpus est, neque ullam habet in se ex partibus, aut ex materia & forma compositionem.* Imperfecta *quippe sunt hæc, & à primo omnium ente quàm remotissima.*

4 VT *in alijs rebus distincta sint (sunt uerò in multis probabili grauissimorum uirorum sententia) natura & suppositum; in* Deo *certè nulla est inter suppositum & naturam differentia.*

5 MAGNA *est controuersia, sit'ne in rebus unum atque idem essentia & esse, in qua nos cùm putamus, probabiles esse contraria opinantium sententias; tùm profectò nihil dubitamus asserere, utcunque in creaturis res habeat, in creatore hæc eadem esse.*

6 DEVM *neque in genere esse aliquo, seu prædicamento, neque ullis esse subiectum accidentibus facilè perspicere potest, qui* Dei *perfectionem infinitam esse intelligit.*

7 NEC *ulla in* Deum*, utpotè simplicissimum, composi*

tio cadere, neque in rei ullius ipse, utpote perfectissimus, compositionem uenire potest.

9 IN Deo ita omnium rerum perfectiones continentur, ut, quia ipse causa est prima, omnia in eo perfectius, quàm in se ipsis, sint. Quia uerò est ipsum esse subsistens; nulla rerum omnium, si cum eo conferantur, perfectio esse uideatur.

9 Qui Dei bonitatem seu perfectionem summam esse, eius per essentiam & non per accidens ullum inesse intelligit, ille nobis de Deo, ut par est, existimare uidetur; neque enim is, cui desit quicquam, uel qui non totam in sua substantia perfectionem habeat, Deus esse putandus est.

10 NIHIL neque multitudine, neque magnitudine, seu mole, infinitum esse posse, uel ipsa naturalis ratio apertè demonstrat. Dei autem solius essentiam esse infinitam, id uerò certius sacra Theologorum scientia docet.

11 ET ubique Deus solus est, & in omnibus ita existit, ut, nisi eius existentia intima cuique rei esset, nihil posset omnino existere.

12 DEVS & moueri ipse non potest, & mouet solus omnia: reliquorum uerò nihil est, quod non ab eo possit in nihilum redigi.

13 SOLVS Deus æternus est, quia solus est immutabilis: reliqua uerò omnia uel temporis, uel æui mensura continentur.

14 ET unus est Deus, & solus maximè unus. Quippe nullam potest, qui summa est simplicitate, diuisionem admittere.

15 IMPOSSIBILE est intellectum creatum Dei

essentiã

essentiam propria uirtute conspicere. Solius enim tanta perfe-ctio Dei est. Adeoq; non potest creaturæ ulli Dei uisio, nisi per gratiam contingere.

16 POTEST quidem Dei essentia uideri ab homine, sed per similitudinem uideri non potest, quia omnis creata forma limites habet certos, certamq; mensuram, quæ Dei magnitudi-nem plenè referre nequit.

17 GLORIAE lumine cuique opus est ad Dei essentiam ui-dendam, & quò maius illud perfectiusue fuerit, eò quidem cla-rius & perfectius, qui illud habeat, Deum cernit. Nemo ta-men quantocunque illustratus sit, diuinam essentiam compre-hendit.

18 VIDENT in Deo multa Beati; omnia uerò nemo eo-rum uidet: quanquam illud fatendum est, eò plura quenque ui-dere, quò in ipso Dei uisio perfectior fuerit.

19 Quæ à Beatis uidentur in Deo, non per similitudines ul-las, sed per ipsam, quæ uidetur, Dei essentiam conspiciuntur.

20 NVLLA est in ea cognitione successio, qua res uiden-tur in Deo: sed uno atque eodem intuitu & Deum Beati, & in eo omnia contemplantur.

21 AN in hac uita uiderit quis Deum, magna est quæstio: quòd autem uideri possit, nos certè nihil putamus esse dubi-tandum.

22 VT cognoscitur à nobis Deus, ita nominatur. Ex quo il-lud planè sequitur, nullum esse à nobis Deo nomen imposi-tum, quod eius essentiam perfectè exprimat.

23 NON omnia Dei nomina eius essentiam indicant. Mul-ta etiam sunt, quæ de ipso non propriè, sed per translationem dicuntur.

24 CVM Deo nihil sit cum creaturis commune; nullum

Dei nomen cum creaturarum nominibus eandem habere rationem censendum est. Etenim prius de Deo, longéq; dissimili ratione dicuntur, quæcunq; de illo, & de creaturis communiter prædicantur.

25 Quædam de Deo ex tempore, alia ex tota æternitate dicuntur. Sunt uerò in his alia relatiua, alia absoluta, illa autem omnia aut relatiua sunt, aut relationem consequuntur.

26 NEQVE Dei natura, neque nomen creaturæ ulli communicari potest: Nam de quibus id dicitur, ijs non propriè, sed per similitudinem quandam tantummodo attribuitur.

27 SCIEntia sua se Deus intelligit, atque comprehendit. Neq; in eo, ut in reliquis omnibus quæcunque intellectu prædita sunt, intelligere ipsum ab intelligentis substantia, seu essentia diuersum est.

28 EADEM se Deus scientia & reliqua omnia cognoscit: neque ideo ea non perfectissimè uidet, quòd non illa per proprias quæque formas agnoscat.

29 NON res scientiæ Dei causæ sunt, sed scientia Dei est causa rerum. Neque enim ideo creaturas suas uniuersas (quemadmodum ait Diuus Augustinus) ipse nouit, quia sunt; quin potius idcirco sunt, quòd eas ipse iam inde ab æternitate cognouit.

30 NON sunt ignota Deo quæ & si nunquam futura sunt, esse tamen aliquando possunt. Nouit ille profectò quot quantaq; omnipotentia sua facere potest.

31 COgnoscit Deus non bona modò, sed etiam mala: neque est omnino in rebus quicquam, quod non ei planè perspectum atque exploratum sit.

32 SI futura contingentia Deo aut nota non sunt, aut non

perfectè cognita, erit aliqua in Deo *ignorantia: quod cùm impossibile sit, sunt illa certè* Deo *notissima.*

33 Non *mutatur* Dei *scientia rebus mutatis: neque enim, ut supra diximus, à rebus pendet, sed una eademq; semper scientia & mutabilia cognoscit, & immutabilia.*

34 HABET Deus *de se speculatiuam scientiam, de alijs uerò, si quidem ea facturus est, practicam.* Nam *quæ etsi fieri à* Deo *possunt, tamen facienda nunquam sunt, speculatiua potius ab eo scientia cognoscuntur.*

35 Svnt *quidem in* Deo *rerum ideæ, seu exemplares formæ, atque eæ ratione sola, non autem re distinctæ. Itaque cùm plures esse ideæ dicuntur, non rerum numerus, sed rationum intelligendus est.*

36 Non *omnium, quæ* Deus *cognoscit, ideas habet, sed eorum tantum propriè, quæ ab ipso uel facta, uel facienda sunt: quanquam eorum etiam, quæ nunquam futura sunt, possunt formæ rationæ aliqua ideæ dici.*

37 VERitas *creata quæcunque uel in rebus inest, uel in intellectu, ab illa una ueritate dependet, quæ sola uerissima est, atque à* Dei *substantia ratione tantùm distincta.*

38 IN *solo* Deo *ueritas æterna est.* Quod *itaque quidam aiunt propositionũ quarundam ueritatem æternam esse, aut falsum est, aut eam propositiones huiusmodi non nisi in* Deo *habent, quam illi dicunt, perpetuam ueritatem.*

39 SI *propositionum & rerum ueritas aliquando mutatur (mutatur autem sæpissimè) non omnis ueritas immutabilis dicenda est, sed illa tantùm, quæ in re fuerit immutabili.*

40 ET *uiuit perfectissimam uitam* Deus, *& in eo uiuunt etiam uniuersa, non quidem ita, ut suam illic uitam quæque habeant, sed quia quæcunque in* Deo *sunt, ab illo in ipso non*

differunt, ideo in eo cuncta uiuere dicuntur.

41 DILIgit non se tantùm Deus, sed reliqua etiam omnia, quamuis non eadem, sed longè dissimili ratione. Caetera enim liberè uult, se uerò solum necessariò. Solus namque sibi necessarius ipse est, solusq; sufficiens.

42 NVLLA cùm sit uoluntatis diuinae causa, omnium ipsa causa est: quanquam illud negari non debet, uelle Deum quaedam propter alia. Verùm id non est voluntatis Dei, sed eius, quod Deus uult, aliquam causam esse.

43 VOluntas Dei absoluta semper fit: neque ei quicquam potest resistere. Quòd uerò aliter fieri multa uidentur, quàm Deus uult, id Theologi ad eam, quam antecedentem dicunt, uoluntatem referunt.

44 NEC Dei uoluntas mutatur unquam, neque rebus contingentibus necessitatem affert. Quare non alia in eo est necessitas, ut id, quod Deus contingenter euenire uult, futurum sit, quàm ea, quae dicitur consequentiae.

45 MALA ea, in quibus culpa inest, Deus non uult, sed esse permittit. Quae autem tantùm boni priuationes sunt, & nullam habent adiunctam culpam, illa quidem uult, sed propter bonum; neque enim malum ullum per se est appetibile.

46 AMAT quidem Deus omnia, sed non aequè. Nam ut quae bona sunt, cuncta diligit; ita magis ea, quae sunt meliora. In utrisque uerò non bonitas rerum amoris Dei, sed Dei amor bonitatis rerum causa est.

47 IVSTVS est Deus, & item misericors: neque in eo harum perfectionum alterutra maior est altera, sed sunt tamen nonnulla, in quibus una, alia uerò, in quibus altera magis elucecat.

Diuinae

48 DIVINAE prouidentiæ ita omnia subiecta sunt; ut per medias causas gubernet Deus mundum, & rebus, nisi quam earum natura fert, necessitatem nullam imponat.

49 PRAEDESTINATI dicuntur ij, quos Deus ad æternam beatitudinem elegit. Reliqui uerò ideo à Theologis Reprobati appellantur; quòd ab ea electione exclusi sunt, & ad pœnam æternam ob peccata destinati.

50 NON sunt prædestinationis causa hominum merita, sed horum illa causa est. Condemnationis tamen causa sunt propria cuiusque peccata. Ita in illorum salute Dei misericordia, in horum uerò supplicio iustitia demonstratur.

51 NEC plures salui erunt, quàm prædestinati sunt (est enim electorum certus numerus) neque quisquam prædestinatorum ita Dei gratia tandem excidet, ut æternam salutem non assequatur.

52 NON quia æterna est electorum prædestinatio, ideo Sanctorum precibus, aut ipsorum prædestinatorum operibus iuuari non potest. Vt enim non pendeat Dei uoluntas à creaturis, illius certè executio per creaturas, ut proximè diximus, fieri solet.

53 TAM est Dei potentia infinita, quàm eius essentia: non tamen ideo posse uel præterita non fuisse, uel esse simul aliquid, & non esse, existimandum est.

54 ET potest Deus multa facere, quæ non facit, neque unquam faciet, ut suprà diximus: & ea, quæ fecit, meliora multò efficere potuisset.

55 BEATVS est Deus. Immò est & sua, & beatorum omnium Beatitudo. alterum habet se uidendo, seq; fruendo: alterum uero, ijs, quibus placuit ipsi, quique suis id operibus promeruerunt, ita se communicando, ut uideant, & ipsi Deum Trinum & unum, eoq; perpetuò fruantur, qui est Benedictus in secula. Amen.

LAVS DEO


SOCI
ETAS
IHS
IE
SV